

Pars prima de vniuerso.

Intellectiuo. Si fuerit beatificatio completa huiusmodi substantiarum vnde abstractarum nullo modo fuit diuisibilis secundum ipsum. Quod ergo assignat ei propheta vespere et mane primum cum illuminatione illa ne regere ad occasum nec appropinquationes vllam ad tenebras habere poterit. Qualiter autem vespere et mane ex duobus punctis temporis intelligatur esse non est facile videre nisi quis dicat substantias illas preclaras in consideratione proprie defectibilitatis atque potentialitatis eas aliquo parte temporis in se immoratas et hoc vocasse prophetam tam vespere quo occasum suum agnoscebant sibi esse ex se et paratas esse ad hoc ut reciderent in non esse. Vnde dicente deo et mandate adesse educte sunt et create. Idem est intellectus pene si ad imperfectionem earum hoc referas. factum est igitur vespere in eis per huiusmodi contemplationem sui occasus vel occiduitatis et ideo prius nominatur vespere qua prius est eis sua ipsa defectibilitas et occiduitas utpote naturalis et a se ipsis quam earum beatificatiua perfectio quam intelligitur per mane. Mane enim remotissimum est a vespere et incium est perfectus hoc est proficiendi et operandi in ipsa perfectione vel secundum ipsam. Factus igitur est vespere ut dixi in consideratione sue occiduitatis et luce illa. Et factum est mane in consideratione nouitatis illius lucis et initio proficiendi siue operandi secundum illam. Opus autem perfectionis istius est potissimum atque precipuum admiratio magnificatio et collaudatio creatoris. Dicitur autem illuminatio illa mane et propter hoc quod prima fuit illuxio creatoris et primus ortus veri solis quo ortus est creaturis. et quia etiam in eo stat et permanet immutabiliter in quo cepit. Non enim augetur velut a crepusculo in meridiem cuius neque claritati eius neque feruori seu ardori sincerissime dilectionis qua creatori inseparabiliter adherent aliquid addit vel accrescit. Quanto autem spacio durauerit vel vespere illud vel mane et vtrum diem integrum compleuerit id est vigintiquattuor horarum equalium spacia que est mensura vniuscuiusque reuolutionis integre firmamenti sermo propheticus non determinauit. Verum non est in consuetum apud nos diem et sex horarum et paucarum inueniri et noctem similiter et etiam diem dimidij anni integri et noctes similiter. Sic declaratum est tibi in tractatibus multis de hijs. Non abusive igitur sapiens et sanctus ille propheta vocauit diem spaciū vniuerso spacio vigintiquattuor

horarum. Quapropter si spaciū illud temporis quo hec omnia facta sunt videlicet celum primum terra et aqua media attingens a terra ad celum illud et lux facta cum sequela sua quam dixi tibi videlicet de consideratione proprie occiduitatis in substantijs illis et de consideratione sue imperfectionis et potentialitatis. similiter et de ipso mane vocare voluit propheta vespere et mane et diem absque iniuria loquere et abusione hoc fecit. De nocte vero ideo nullam mentionem fecit quia nullus locus est nocti vel tenebris in regione illa vel propter hoc quia in vespere illud et mane reuera nihil est medium. Si quis autem dixerit beatissimas illas substantias in consideratione et admiratione creaturarum vicem celi et terre aquarum et etiam sui ipsarum moram aliquam traxisse ut ex inde magnificaretur abundantiam atque sublimitatem creatoris et ex inde erexisse se ad ipsum et moram aliquam in hoc traxisse cum collaudatio et glorificatio creatoris nec breuis nec perfunctoria sit sicut nec esse debet moram huiusmodi dicat vespere illud siue finem illius more quod est congruentius non improbabiler dicitur nec sermo eius tanquam erroneus reiciendus est. Elucidabo autem istud amplius et dicam quod in principio hoc est in prima parte diei illius primi quam propheta vespere vocasse videtur multa facta sunt que omnia subito et in non tempore hoc est in puncto temporis fieri possibile non fuit. horum vnum est creatio primi celi et terre et aquarum. Secundum est creatio angelorum. Tertium ordinatio angelorum in officijs dignitatibus et ordinibus suis. Quartum conspiratio angelorum malorum et apostotatio eorum. Quinto casus atque deiectio illorum. hec autem quinque cum perscrutatus considerauerit inuenies absque vlla dubitatione facta fuisse in tempore aliquo cuius finem vespere vocauit sermo propheticus vel posset intelligi vespere casus malorum angelorum. quod et fuit eis occasus et obtenebratio a luce prima ac preclara que deus est quantum ad naturalem illuminationem. Et si enim multa luce scie sue sapientie naturalis adhuc clareat in multis tamen obtenebrati sunt. Sicut doceberit in tractatu deis singulari nec propter solam istam obtenebrationem dicta est vespera finis more seu temporis illius. ymo etiam et propter infrigidationem qua ab amore naturali creatoris penitus friguert. Ita enim nec scintilla huiusmodi amoris apud eos viuit aut ardet. ymo tollit miram et odium ipsorum.